

CIRCARIA HUNGARIAE

Haec circaria, una ex maximis universi ordinis, per totum aevum medium mansit immutabilis, semperque sola et cuncta monasteria in se continens antiqui regni Hungariae, quod a millennio limites suos conservavit ad annum usque 1919, quo maior pars eius adnexa est regnis et rebus publicis vicinis: Rumenia, Jugoslavia, Cechoslowakia et Austria.

Primi Praemonstratenses venerunt in Hungariam ex Praemonstrato, quod ut videtur inter annos 1162 et 72 forsitan vero iam antea, primum gregem emiserat in Varadiense coenobium; et ex abbazia Riéval in Lotharingia, quae annis 1170/80 canonicas Garab. Nagyolasz et Bozok genuit. Kökényes, Lelész et Janoshida videntur etiam adhuc saeculo XII fuisse fundatae, tempore enim Belae regis tertii († 1196). Ceterae canonicae ortae sunt inter initium saeculi XIII et annum 1264. Maxima pars canonicarum certe semper fuit linguae hungaricae. Aliquae quidem domus sitae sunt in regionibus ab aliis gentibus habitatis, sed historia earum potius est hungarica. Ideo nomina earum uniformiter (praeter Ivanic, Hermannstadt et Kronstadt) in hac lingua inserenda esse duximus.

In nulla forte circaria viget maior confusio et incertitudo de nomine et numero singularum domuum, et nullibi, si Frisiam et Hiberniam excipis, documenta et integra archiva tam funditus sunt deleta et annihilata quam in hungarica; ita ut de plerisque monasteriis ne nomen quidem correctum, nec situm, nec certitudinem absolutam, num umquam extiterint, habeamus notam.

Hucusque nec ullus catalogus vel documentum quicquam medii aevi in Hungaria ipsa repertum est, quod omnium tunc monasteriorum nomina, fundationem, filiationem fideliter memoriae traderet. Propterea contenti esse debemus operibus exteris, quae res circariae nostrae tangunt quoque. Sed hic ingentibus premimur difficultatibus propter magnam discrepantiam eorum.

Deficientibus aliis fontibus, hac in circaria antiquis catalogis, de quibus



infra in vol. III fusius tractamus, maximum momentum est attribuendum.¹ Scatent quidem mendis. Apud nullam circariam enim nomina in catalogis adeo sunt corrupta ac apud nostram. Ante oculos debemus ponere, qualem commutationem attulerit descriptio litterarum et sonuum hungaricorum: cs, cz, gy, ly, ő, ü, ty etc – quae tantum gnari recte possunt proferre – in lingua latina iam in Hungaria ipsa, eo magis in circariis exteris, apud auctores linguae hungaricae ignaros, qui, si difficultas aliqua in lectione exoreretur, nullum remedium inveniebant et sic secundum indolem proprii idiomatis procedebant. Ita fecerunt Scheftlarienses Germani ex Zsambék: Stainboch, ex Szalankemen: Slanchenmund, ex Darno: Dornaw. Galli vero Thours vel Thury ex Türocz, Rockeniti ex Kökényes, Cothevan vel Goteshay ex Hatvan, Zutbeleniz ex Zenthbenedek (= Kaposfő). Sic multiplicabatur saltem nomine numerus monasteriorum, etiamsi annalistae ex uno eodemque fonte, nempe ex catalogis hauserant, quia saepe ne suspicabantur quidem, sub nominibus diversis unum idemque monasterium latere.

Eatenus duo tantum catalogi erant noti, L et P, qui sunt radix omnis confusionis. Maiorem certitudinem tantum ex coniecturis, comparatione omnium octo indicum interea exaratorum obtinere possumus. Propterea in hac circaria, praeter consuetudinem, in capite omnis canoniae exacte indicamus, quid praebeant de ea singuli catalogi.

Ninivensis primus, omnium antiquissimus, unam tantum canoniam hungaricam habet, nempe Stum. Stephanum Varadiensem, et quidem certe tamquam partem pro toto, quia tempore eius redactionis complures domus in Hungaria iam extiterunt. Ninivensis secundus habet 22 monasteria. Tamquam primus et unicus loquitur de Zich, Meszes, Kronstadt et Herrmannstadt, quae monasteria, paulo post redactionem illius anno 1241 a Tataris eversa usquedum nobis fuerunt parum nota vel ignota. Omittit tamen iste index nonnulla monasteria certe ante annum 1235 fundata. Pretiosae sunt nobis eius notae circa filiationem et reformationem circariae². Catalogi antiquiores (Vetus Registrum, id est L, V et S, inter annos 1270 et 90 orti) indicant plura, L enim 45, V et S unusquisque 43 monasteria. V et S de filia-

¹ Horvath in articulo suo „Ad bibliographiam“ videtur omnino rejicere catalogos ut fontes nullius valoris. Quam opinionem esse falsam abunde demonstrasse credimus.

² „In Hungaria. In strigoniensi provincia: NOTA: quod frater andreas canonicus sti. Stephani Waradinensis in hungaria anno gracie m cc xxx iiij tulit secum ad ecclesiam suam pro habenda uniformitate ecclesie premonstatensis lectionarium, integrum antiphonarium, graduale, missale cum nota collectaneum, martirologium, kalendarium, librum consuetudinum. NOTANDUM quod anno gracie m cc xxx v frater fredericus quondam abbas hamburnensis visitavit ecclesias hungarie in veritatem paternitatum et filiationum, sicut sunt hic notate, reportavit ad capitulum generale et fuit receptus reverenter et obedienter ubique.“

tione tacent; quod hac in re habet L, plane est arbitrarium et nullius valoris. Indicationes eorum circa dioeceses valde discrepant ab illo, quod tradunt catalogi posteriores. Praeter unum alterumve casum, quo dioecesis revera fuit mutata, indices LSV quoad hoc cautissime sunt legendi. Inveniuntur tamen in illis complura coenobia (Drozo, Zopriza, Zemlen, Magedlin), quae secus nullibi sunt obvia. Nequaquam assentimus tamen Antonio Horvath, illa tamquam meras fictiones rejicienti³.

Catalogi synoptici recentiores (P: 39, W: 32, H, T: 34 monasteria hungarica) indicant primo loco novam „filiationem bohemicam“ totius circariae, a Capitulo Generali anno 1294 decretam, praeter P, qui hoc omittit, sed aliquas canonicas, quas in antiquioribus elenchis detexerat, adiungit. W, H, et T adducunt, praemissa proclamatione decreti supradicti, post singulas abbatias bohemo-moravicas, hungaricas praeposituras unicuique vigore illius subditas. Audiamus, quid habeat Windbergensis: „Anno Domini M^o CC^o nonag^o. quarto in capitulo generali assignata fuit paternitas ecclesiarum circarie Hungarie quinque abbatibus inferius annotatis. Hoc diffinitum fuit et ordinatum a domino premonstratensi et a diffinitoribus capituli generalis propter defectum patrum abbatum, qui eas minime visitabant“. Reliqua citamus ex H et T, mutatis vero nominibus in formam modernam: „Assignata est abbati Montis Syon paternitas de Sag, Hatvan, Bény, Kökényes; item abbati Lytomislensi: Majk, Moriczhida, Lelesz, Rátót, Kaposfő, Ócsa, et Jánoshida; item abbati Gradicensi: Bózók, Garáb, Túrje, Zsidó, Sadium, Raik, Szalankemen; item abbati Lucensi: Jászó, Darnó, Zsámbék, Pályi, Ábrany, Adony; postremo Zabrdovicensi: Turócz, Csorna, Pók, Váradhegyfok, Insula Leporum, Insula Lazari, Csút, Cheim, Almás, Gedir.“ (W habet idem, sed Rajk et insulam Leporum omittit). Hugo dicit in praefatione suorum Annalium (Vol. I), hoc decretum a Capitulo Generali anno demum 1516 fuisse revocatum.

Historicis hungaris haec res maximum est in scandalum, et propterea putaverunt illam esse meram inventionem saeculi XVII⁴. Sed facta negari nequeunt, loquentibus manuscriptis huic decreto contemporaneis. Apparet vero abunde ex omnibus documentis indigenis, hoc decretum fatale, praepo-

³ Argumentum enim eius ex silentio documentorum hungaricorum parum refert. Catalogi ordinis sunt enim fontes contemporanei aequi valoris ac illa. Quantopere sunt fide digni, iam elucet eo ex facto, formas nominum quas praebent omnino consonare illis, quae in documentis indigenis sunt obviae. Scimus insuper ex historia aliarum circariorum, saepius canonicas iam brevi post foundationem iterum desiisse, aut in alium locum esse translatas, aut alii ordini traditas. Probabiliter simile quid hinc inde et in Hungaria evenit, sed propter interitum tot archivorum nullum diploma hoc memorat.

⁴ Confer A. Oszvald in *Emlekkönyv* p. 76/77, nota.

sitis circariae nostrae absque dubio odiosissimum, numquam in praxim fuisse deductum⁵. Constat a saeculo XIV (immo iam an. 1295) usque ad interitum circariae saeculo XVI patres abbates hungaricos consueto modo semper proprio marte, Praemonstrato soli submissos, munere suo esse functos. Nullum apparet vestigium in fontibus indigenis, ac si abbates circariae Bohemiae umquam exercuissent jus paternitatis in monasteria hungarica. Immo reges Hungariae, „juris patronatus supremi“ sibimetipsis vindicati avidissimi, numquam dedissent possibilitatem huiusmodi ingerentiae.

Praepositi monasteriorum minutorum, de quibus mox loquemur, plerumque de rogatu patronorum a patre abbate sunt de suo gremio nominati. „Veritas paternitatum et filiationum“, ut supra legimus, anno 1235 fuerat ordinata, quod iterum factum est anno 1270. Anno 1382, durante schismate, visitator circariae hungaricae, una cum illa Papae legitimo adhaerens, a Praemonstrato se ad tempus separavit et potestatem quasi generalitiam sibi vindicavit. Praepositi huius circariae, quorum multi iam brevi infula sunt ornati, ab annua visitatione Capituli Generalis erant exempti propter distantiam, sed convenerunt cum prioribus suis in capitulis provincialibus, saepius Budae celebratis. Anno 1510 decretum est, ut omni sexennio unus praepositus circariae debeat adire Praemonstratum.

Etiam in his recentioribus supra allatis, invenimus aliquas canonias, quarum existentia a nullo quidem diplomate secus confirmata (Cheim, Insula Lazari, Sadium, Szalankemen), nihilominus videtur esse certa.

Catalogus L tamquam primus publicatus est anno 1603⁶. In Hungaria ipsa notio nostrae circariae tunc temporis iam adeo evanuerat ut Petrus Pazmany ille anno 1629 catalogum Lairuelii, quinque novis monasteriis auctum, sed nullo errore correcto, iterum ediderit⁷. Quem catalogum Pazmanii propter maximam illius auctoritatem posterius fere omnes, immo Hungari ipsi, sine censura comprobabant. Anno 1633 Lepaige typis exscribendum curat suum catalogum, 39 monasteria continentem, qui iterum apud Hungaros ab initio magno fuit in honore. Centum annis post Hugo noster in suis annalibus topographiam a Lairuelz et a Pazmany satis confusam, porro dioeceses et comitatus, filiationemque adhuc magis confudit, quia non amotis mendis prioribus, nova addidit; et alienas, medio aevo non ad ordinem nostrum spectantes canonias in seriem suam recepit, immo nonnulla nomina, cum parva mutatione litterarum bis terve protulit, quasi essent diversa monasteria (Türe-Türje, Ocsa-Ocra). Sic potuit producere 65 canonias. Sed si in prae-

⁵ Vide amplam documentationem apud Oszvald, A. Magyar premontrei középkori prépostságok.

⁶ S. de LAIRUELZ, *Optica Regularium*, Pont a Mousson 1603, pp. 383/422.

⁷ Apud PETERFFY, *Sacra Concilia* (ed. 1629) p. 276.

fatione operis sui legimus illas preces, illa verba supplicia, quibus petebat a Societate Jesu in manibus eorum habita et monasteria et huius circariae tangentia documenta et nihilo magis accepit ea, tunc facilius ignoscimus ei etiam propter mendas tam graves. Ipse voluit documenta accurata proponere, sed quia circaria Hungarica tunc nil fuit nisi merum „beneficium“ abbatum Bohemiae absque veris conventibus, illos adiit. Qui vero pauca tantum et saepius erronea praebere potuerunt, et sic numerus mendarum in dies crevit. Sed et cum Hungari ipsi nullum fontem habuerint pro historia ordinis et circariae nisi auctores supradictos, errores illorum communiter apud eos sunt accepti.

Vestigiis his ingrediens numerum monasteriorum peragebant Joseph Malloy⁸ 50, Fuxhoffer 42, Schematismus Jaszoviensis et Csornensis anni 1891 65, recenter Zak⁹ et Waefelghem: 72 monasteria enumerantes. E contrario nimis restringunt Bekefi et Lukcsics¹⁰: 31, Horvath: 34 ; quia fontibus tantum indigenis nituntur. Oszvald in articulo suo citato 38 indicat. Nos autem habemus 41 monasteria ut certa, 3 ut probabilia, 8 ut dubia.

Si historiam huius circariae diligentius perspicimus, causas huius interitus omnium fere archivorum melius intelligimus. Initio quidem, saeculo XII et hinc inde etiam postea, canonicae illius erant abbatae, sed in posterum integra circaria titulum abbatialem recusavit et praeposituralem quasi tamquam proprium quid nationale anxie retinuit. Ultimis saltem saeculis, pauca relative monasteria videntur fuisse, ut alibi, verae domus formatae, propriis communitatibus professisque provisae. Maior pars eorum consistebat ex „monasteriis generationum“ seu „monasteriis minutis“. Familiae enim nobilium in hoc regno fundaverunt sibi parva monasteria in usum proprium, in sepulturam membrorum earum et ad curam animarum in earum dominio exercendam. Disponebant de illis, quasi essent sua proprietas, et plus semel canonicas „suas“ angustia verunt spoliaveruntque, arbitrarie bona ab atavis donata iterum avellentes. Distinguebantur „monasteria generationis proprie dicta“, id est familiae ipsius fundatoris reservata, et „monasteria communia in generatione“, quae serviebant generationi illi in lato sensu, ergo omnibus propinquis eiusdem stirpis et nominis. Ut scimus ex exemplo praepositurarum Adony et Darno, quarum historia ex amplo archivio Leleszensi melius est elucidata, haec monasteria pluries carebant proprio conventu, et prae-

⁸ Brevis notitia, circariae Hungaricae Ord. Praem, MS in Archivo secreto Jaszoviensi.

⁹ In articulo infra citato tentat, monasteria haec incerta quaerere in locis similis nominis; ita Albei in Algyő, Chuchas in Cuskas, Chöpefő in Csepelfő, Cudan in Csudany – sed in vanum, nil fecit nisi confusionem auxit.

¹⁰ Manuscriptum in archivio Episc. Strigoniensis, auctoribus R. Bekefi et L. Lukcsics, anno 1922 collatum ad substituendum „Catalogum Episcoporum“ mendosum et inveteratum.

positi eorum, tamquam parochi nati cum uno alterove confratre parochiam loci administrantes, e gremio alicuius majoris communis erant desumpti. Habemus probabiliter apud maiorem partem harum canoniarum de facto parochias a religiosis administratas (quae ceteroquin fuerunt raras hac in circaria) sub forma et nomine „monasterii minuti“. Dum rex anno 1169 renuntiaverit in ius investiturae, nobiles consecuti sunt jure longe ampliore ac in Europa occidentali, exercere dominium absolutum in territoriis suis et quoad spiritualia. Cistercienses hoc stricte recusaverunt, ideo fundata sunt pro eis 16 monasteria tantum. Praemonstratenses autem compromissum inierunt cum systemate sat intricato feudalismi hungarici. Praeter decem fundationes pluries regias, et 30 circiter possederunt „monasteriola“, quae tantum „compossessores“ fuerunt bonorum suorum, quorum altum dominium semper mansit in manibus nobilium. Paulatim bona familiae distributa et discerpta sunt, cum eis et bona monasteriorum, quod sub dynastia Anjou saec. XV induxit ruinam eorum¹¹. Praecipuae tamen maiores canoniae, florentes et conspicuae, fuerunt Ság, Turocz, Bózók, Csorna, Jászó, Türje, Csút, Zsámbék, Lelesz et Stus. Stephanus Varadiensis.

Aliquid omnino speciale in Hungaria erant sic dicta „loca credibilia“. Reges eius enim ius authentice sigillandi documenta quaecumque sibimetipsis primitus reservatum, postmodum pro instrumentis maioris momenti episcopis, pro illis minoris momenti monasteriis commiserunt. Talis locus vocabatur „credibilis“, coram illo facti sunt exinde omnes actus iudicii totius regionis illi commissae, moderni notariatus instar. Monasteria, in quibus institutae sunt ad hoc cancellariae cum notariis, subnotariis et scribis e gremio desumptis, ad tempus fere omnes videntur esse gavisae hoc privilegio, sed Ludovicus rex anno 1351 monasteriis minutis illud ademit. Archiva illa publica, quae ingenter concreverunt, vocabantur „regnicolaria“, et in aliquibus locis adhuc subsistunt¹². Non obstante hac occupatione mere civili, vitae conventuali interdum perniciose et a regibus initio imposita, multa extant vestigia e medio aevo abunde probantia, vitam regularem, spiritum pietatis pariter ac studiorum optime in hac circaria floruisse. Problema nullo modo iam elucidatum est origo monialium in hac circaria. Quae cum esset orta versus finem saeculi XII, tempore enim, quo monasteria non amplius fundabantur ut du-

¹¹ OSZVALD, *Emlekkönyv* 19/78, et praesertim MEZEY, *Ungarn und Europa* (v. *Anal. Praem.* XLV 1969, 333). Constat, post fundationem canoniae Csut (1264) et certe post finem dynastiae Anjou (1301) novas domus ordinis in circaria non fuisse fundatas.

¹² Ut v.g. in Lelesz. Fuse de hac re tractat optimus ille articulus B. KUMOROVITZ de „activitate authentica“ illius canoniae, infra suo loco citatus, et in articulo K. JUHASZ *Anal. Praem.* XXXVIII 1962, 287/79.

plicia, probabiliter non ex se genuit parthenones, sed moniales, quas saeculo sequenti in Hungaria invenimus, certe venerunt ab exteris. Vix venerunt e Gallia, cum primis Praemonstratensibus, quia gallicae abbatiae post annum 1137 foundationibus suis ad exterarum sorores non iam adiungere solebant.¹³ Documenta hungarica memorant tantum Ivanic ab anno 1246, sed non distincte indicant eius ordinem, pariterque Szalankemen ut monasterium ignoti ordinis, postremo ab anno 1511 sorores in Szeged, Somlyóvárhely et Moriczháza. Unde venerint, quomodo inter se cohaereant, et a quibusnam canonibus dependerint, authentice erui nequit.

Ergo refugiamus ad catalogos nostros, et revera possumus ex illis coniecturam instituere, quae videtur esse satis fundata. Prima mentio parthenonum fit in N secundo: Herrmannstadt et Kronstadt. In catalogis SVL non iam invenimus haec asceteria, eorum loco autem tria alia: Ivanic, Drozo et Zopriza. Catalogis HWT insertum est unum tantum: Szalankemen¹⁴. Asceteria Herrmannstadt et Kronstadt esse exortas ex communitatibus „beginarum“, quae ordini cuidam se adiungere studuerunt, vix est credibile, quia sorores huiusmodi saec. XIII certe ordinem quendam mendicantium – OFM vel OPraed – praetulissent. Dominicani habuerunt coenobium in Kronstadt. Factum quod elegerunt ordinem in regione illa adhuc ignotum, innuit eas advenisse tamquam moniales Praemonstratenses – ab exteris regionibus. Putamus ergo rem ita se habuisse: Moniales dicti Ordinis e Saxonia vel e Flandria, ut videtur, emigratae, inter annos 1221 et 35 duo asceteria fundaverunt in Transsylvania Herrmannstadt enim et Kronstadt, quae „assignata sunt paternitati circariae Hungariae.“ Quae cum anno 1241, quo praedabundae immanium Tatarorum copiae integram pervastarunt Hungariam sicuti omnia fere alia monasteria essent deleta, aliis in locis se stabilierunt. Possumus supponere, conventus ex dissensione se divisisse in nationes: Hungaricae sorores se fixerunt in Drozo vel Zopriza, vel in ambabus, Saxones autem tenderunt in Ivanic, ubi de rogatu regis Belae, quem suppliciter adierant, novum monasterium illis est commissum. Quia numerus earum forte nimis erat comminutus, et ut ex florente parthenone patrio novum vigorem assumerent, gregem sororum sibi expetierunt ex Marienbusch in Pomerania, sub cuius tutela se posuerunt. Non in vanum enim praeter morem in catalogo designatur Ivanic tamquam „filiam Rubi“. Forte moniales hoc modo de-

¹³ Saec. XIII occurrit quaedam vidua nobilis, quae in „eadem ecclesia (scil. Sag) Deo famulatur“ (Communicatio R. D. Ladislai Mezey). Ex quo vero existentia monasterii duplicis vix sufficienter probari potest.

¹⁴ Vide haec omnia infra suo loco. P habet praeter „Salanghen“ etiam Juvantia et Stum. Lambertum (= Ivanic et Somlyóvárhely). Iam ex forma „humanistica“ Juvantia quae medio aevo non occurrit, apparet has esse additiones saeculi XVI.

monstraverunt contra decretum Capituli Generalis, eas assignans Circariae Hungariae, a qua in posterum de facto se alienaverunt. Drozo et Zopriza anno 1290 iam fuerunt derelictae, et moniales, in unicam communitatem forte redactae, abhinc habitaverunt coenobium Szalankemen, quod antea iam videtur extitisse tamquam canoniam virorum. Quando desierit, nescimus. Circa annum 1500 autem moniales quaedam, aut Ivanicenses, aut (si adhuc extiterit conventus) illae de Szalankemen, aut ambae communitates una, a Turcis profugae secesserunt in castrum Szeged, Szalankemensi asceterio ceteroquin vicinum. Unde vero, cum refugium provisorium illis ibi traditum totam turbam virginum capere non posset, partim evolaverunt in pristinam abbatiam monialium OSB in Somlyóvásárhely, anno 1511 illis relictam. Circa annum 1526 alia turba monialium (Szegedenses aut Ivanicenses?) secessit in Moriczhidam. Postremo circa annum 1560 reliquae moniales hungaricae ordinis nostri fugerunt in Austriam, ubi versus annum 1580 sunt extinctae.

Saeculo XV infaustum systema commendarum, a dynastia Anjou in hoc regno iam saeculo elapso introductum, tantopere invaluit in hac circaria, ut plura monasteria, olim florentissima aut penitus delerentur, aut in manus caderent aliorum ordinum, praesertim Paulinorum, a rege Mathia adeo dilectorum.

Cum res ordinis in toto regno coeperint graviter dilabi, initio saec. XVI exsurrexit vir quidam rarae fortitudinis, profundaeque simul pietatis: Franciscus Fegyverneký (1506/35), praepositus de Sag, visitator totius circariae, qui cooperantibus assessoribus suis praepositis de Turocz, Bozok, Lelesz et Csorna, in spiritu strenuae reformationis, a capitulis generalibus tunc initiatæ, indefesso, fere per tria decennia protracto labore faciem totius circariae penitus renovavit.

Duo conamina reformationis ante Tridentinum ex ipso Ordine sunt egressa: illud abbatis Redman in Anglia († 1505), et illud praepositi Sagiensis in Hungaria, ex quibus haec ultima certe erat efficacior. Praepositus Fegyverneký monialibus a rabie Turcarum, ut videtur, expulsis, nova monasteria procuravit (Szeged, Somlyóvásárhely), depopulata iterum integravit (Moriczhida), canonicas ab aliis usurpatas valorose reclamavit (Csut, Zsambek), et ante omnia pro libera electione praepositorum violentiae patronorum se opponendo, et approbationem regiam quamquam instabilem sibi procurando, cum successu indefesse ac strenue concertabat, dum abbatiae aliorum ordinum, eodem tempore, sub iugo commendatorum gementes, se liberare non potuerint.¹⁵ Numquam fuit spiritus regularis in tanta harmonia cum activitate loci credibilis quam hac in periodo. In pluribus canonici, ut in

¹⁵ Vide de hoc viro praestantissimo optimum articulum. A Oszvald in *Emlekkönyv* pp. 51/109.

Lelesz vigorose reflorescenti, numerus religiosorum accrevit, et iam spes novi veris coepit lucescere, cum Turcarum irruentium rabies post cladem Mohacsensem anno 1526 omnia fecerit ad irritum. Dimidium regnum dein ab illis expugnatum est, et omnia monasteria in ditione eorum sita subversa et simul cum archivis deleta sunt. In septentrionali parte regni autem ordo hoc saeculo aliis ex causis pessumivit et exstinctus est.

Monasteria ibi sita, incursionibus Turcarum, quibus continue fuerunt exposita, paulatim depopulata et ruinata, inciderunt in manus patronorum nobilium, aperte vel clam haeresi faventium, vel data sunt ut commendae praelatis profugis „ex partibus infidelium“. Ita versus annum 1600 circaria haec olim tam florens propter adversa bellica huius expositi inter orientem et occidentem territorii plane exstincta est. Archiepiscopus Colocensis, A. Draskovics, iam anno 1583 adiit abbatem Teplensem, ut ordinem in Hungaria agonizantem restitueret. Qui statim initiavit restaurationem canoniae Jaszoviensis, cui Joannem Lohelium destinaverat in praepositum, cum per mortem abbatis simul et archiepiscopi biennio post omnia essent infracta. Centum annis post, Turcis expulsis ordineque ubique vigorose renovato, Franciscus de Schöllingen, abbas Pernecenis, acquisivit quasdam pristinas praeposituras hungaricas. Longum est, minutim vicissitudines huius rei exponere, cui patres circariae Bohemiae initio nequaquam faverunt.¹⁶ Anno 1692 Capitulum Generale decrevit, ut canoniae hungaricae recuperandae manerent penes circariam Bohemiae. Cum restauratio complurium monasteriorum per tantum tempus desolatorum vel penitus destructorum vires exiguae abbatiae Pernecensis longe excederet, illa vendidit ea aliis abbatibus. Anno 1710 Luca possedit praeposituras Varadiensem, Leleszensem et Jaszoviensem, Zabrdovice Janoshidam, Gradicum autem Csornam. Pernegg adhuc tenuit Türje, quod vero anno 1738 pariter vendidit Gradicio.

Dignum et justum fuisset tunc, ut opulenta abbatiae circariae Bohemiae paulatim canoniis hungaricis, feliciter recuperatis, libertatem redderent et circariam Hungariae in statum pristinum redintegrarent, ut Leopoldus rex sicut et abbas Schöllingen semper desideraverant. Quam vero spem Hungarorum fefellerunt abbates Bohemi, qui habuerunt praeposituras hungaricas pro meris curiis, et beneficiis lucrativis. Extruxerunt quidem ibi partim novas aedes¹⁷, institueruntque in decursu saeculi XVIII in illis praepositos infu-

¹⁶ Monasteriae fere omnia tunc temporis in Hungaria fuerunt versa in praeposituras titulares (illa, quorum bona a nobilibus fuerunt rapta), aut commendas reales, a dignitariis ecclesiasticis quieta fruitione possessa. Immo tituli illarum domuum, quae reapse numquam extiterant, sed ex erroribus Lairuelii sunt ortae abhinc concessi sunt, simul cum infula, sacerdotibus saecularibus. Vide de hac re correspondentiam abbatis Steinfeldensis annis 1688 sq (StA Koblenz Abt. 231,57 Nr. 19).

¹⁷ Omnes aedes medii aevi tot quondam canoniarum, in regione a Turcis subiecta in

latos de proprio gremio, et parvas communitates, quibus paulatim et pauci Hungari se admiscuerunt, sed ne cogitaverunt quidem illis reddere libertatem debitam. Andreas Sauberer, professus Lucensis annis autem 1745/70 praepositurae suae Jaszoviensi, ingentibus obstaculis superatis, independenciam plenam obtinuit. Ordo ceteroquin anno 1760 circariam Hungariae consideravit ut restauratam. Anno 1767 etiam Türje iterum facta est sui juris, et Csorna sicut et Lelesz in eo erant, ut exemplum illius sequerentur, cum omnes canoniae annis 1785/87 a Iosepho II rege suppressae sunt. Ita ordo in Hungaria altera vice exstinctus est.

Hungaricus populus, hoc aegre ferens, et gymnasiorum directionem religiosi committi anhelans, restaurationem complurium ordinum in hunc finem a Francisco II rege impetravit anno 1802. Restaurati sunt ergo et Praemonstratenses, et quidem canoniae Jaszo et Csorna. Adnexae sunt canoniae Jaszo praepositurae Lelesz et Varadhegyfok, ut et harum beneficiis sat amplis adaucta, par fiat adimplendi onera trium gymnasiorum sustentandi. Csornae autem adiunctae sunt praepositurae de Türje et de Janoshida, cum onere sustentandi duo gymnasia et administrandi duas parochias. Gymnasia a canonicis directa optimam semper habuerunt reputationem, maximoque fuere in honore scientiae et studia. Educati sunt in collegiis illis viri praeclari in Hungaria: Fejér György historiographus, Széll Kalman cancellarius status, necnon inter ecclesiasticos Cardinales Primates Vaszary et Mindszenty. Anno 1883 erigitur Circaria Austro-Hungarica, in Capitulo Generali anni 1889 vero Circaria Hungariae restituitur.

Anno 1919 simul cum patria et circaria discerpta est. Jaszo et Lelesz addictae sunt „Cechoslowaccae“, per decreta gubernalia omnia sua gymnasia amisit. Canonici eius stirpis Hungarici vero anno 1924 novum fundarunt collegium in Gödöllő prope Budapest. Csorna sola remansit hungarica cum collegiis suis. Anno 1924, de facto vero 1946 canoniam Sti. Stephani Varadiensis iterum facta est sui juris et Abbati Generali immediate subdita. Recenter titulus abbatialis introductus est in circaria.

Spiritus restaurationis catholicae post bellum primum mundiale in Hungaria invalescens, etiam in hac nostra circaria zelum reformationis internae excitavit. Anno 1945 canoniae in Hungaria sitae, pariter ac illae, quae post brevem restitutionem ad pristinam patriam iterum Rumeniae et Csechoslovakiae sunt adnexae, omnibus fere suis bonis sunt destitutae, et scholae collegiaque ab illis administrata, paulo post sunt saecularizata. Canonici deinde pauperes, in activitate sua ad claustra et ad aliquas parochias de novo sus-

terea omnes corruerant, praeter unam alteramve pulchram ecclesiam (Ocsa, Beny, Türje, Zsambek); in septentrione partim subsistunt, sed sunt generatim modestae ac exiguae. Saeculo XVIII aedificia visendae structurae tantum in Jászó sunt erecta.

ceptas restricti, vitam regularem tamen intrepide continuerunt, donec anno 1950 omnes canonicae suppressae, et religiosi praeter illos qui potuerant effugere ad exterarum, incarcerati sint. Ita Circaria Hungarica nostris diebus tertia vice extincta est. Sed iam bis surrexit, et etiam hac vice Deo adiuvante resurget.

Pars canonicorum Circariae anno 1961 fundavit „Novitiatum abbatiae Csornensis“ in Orange, California, USA, quod erectum est anno 1975 in prioratum sui iuris.

Dioeceses in Hungaria

Cum dioeceses huius regni variis sub nominibus – tum latine, tum hungarice, tum germanice – generation in literatura occurrunt, apud exteros saepius magna viget confusio. Ideo adducimus parvum elenchum earum dioecesium, quae ad nos attinent.

Nomen latinum	hungaricum	germanicum	rumenum	slavicum
Agriensis	Eger	Erlau	–	–
Albensis seu Albae Juliae	Gyulafehérvár	Karlsburg	Alba Julia	–
Alba Regalensis	Székes-féhevár	Stuhlweißenburg	–	–
Colocensis	Kalocsa	Kalotscha	–	–
Cassoviensis (1840)	Kassa	Kaschau	–	Kosice
Csanadiensis	Csanád	Tschanad	–	–
Cumania (anno 1241 interiit)	?	?	Milcov	–
Jauriensis	Győr	Raab	–	–
Neosoliensis (1776)	Bestercze-banya	Neusohl	–	Banska Bystrica
Quinque Ecclesiarum	Pécs	Fünfkirchen	–	–
Rosnaviensis (1776)	Rozsnyo	Rosenau	–	Roznava
Strigoniensis	Esztergom	Gran	–	–
Ultra Sylvane	(idem est ac Alba Julia)			
Vaciensis	Vác (Vác)	Waitzen	–	–
Varadiensis	Nagyvárad	Großwardein	Oradea Mare	–
Vesprimiensis	Veszprém	–	–	–
Zagrabiensis	Zágráb	Agram	–	Zagreb

Abbreviationes Archivorum:

Cs. O. L.	Csornai Országos Levéltár (Arch. Loc. cred. Csornensis)
J. O. L.	item Jaszoviensis
L. O. L.	item Lelesziensis

- M.N.M.t.a. Magyar Nemzeti Múzeum Törzsanyag (Museum Nationale Hungariae, depart. principale) Budapest
M.N.M.cs. Magyar Nemzeti Múzeum . . . család (Museum Nat. Hung. familia . . . (Budapest)
Orsz. Magyar Országos Levéltár Diplomatikai Osztály (Archivum)
ltv. Dl. Regnicolare Hung., Departim. Diplomat) Budapest
Orsz. Magyar Országos Levéltár Helytartótanácsi Osztály (Archivum Regnicolare Hung. Depart. Consilii Locumtenentialis)
ltv. Helytt. Budapest

ÁBRÁNY

Pronuntia: Abragne

In documentis: Abraham (non vero Sanctus Abraham), Abraam, Monostorosábrahám, Molnosabran. Hodie dicitur hungarice Erabrany vel Felsőábrány. Vitetur confusio cum abbatia O. Cist Abraham in dioec. Colocensi, comit. Bodrog. In catalogis omnibus occurrit. Abraham: N, S, V, L, H. Habram: P, T. Habraham: W. Filia Sti. Pauli: N, L, P, W, T. Sti Stephani: H. In dioec. Varadiensis: L, P, W, H, T. Agriensi: V.

Sita erat prope Margitta (Marghita) juxta flumen Berettyó, in septentrione comitatus Bihar, dioec. Varadiensis. Hodie pertinet ad Rumeniam.

Praepositura, fundata ante annum 1235. Fuit semper sub patronatu generationis de Gut-Keled, ergo supponere licet, illam etiam canoniam fundasse. Filia de Pályi. Documenta probant hanc canoniam exiguum floruisse saeculis XIII/XV, de historia eius pauca scimus, probabiliter saeculo XVI a Turcis est diruta. Deinceps fuit praepositura titularis. Hugo dicit ecclesiam quae subsistit, fuisse traditam Calvinistis, quod vero est confusio cum alia ecclesia similis nominis.

Archivalia: Orsz. ltv. Dl. Budapest.

Bibliographia: BALICS II 2, 270 – BUNYITAY II 404/08 – Catal. Epp. – COTTINEAU 10 – DHGE I 187 – FEJER CD IX 3, 514 – FUXHOFFER-CZINAR II 3 – Göd. Ert. 1938/39 p. 19 – HUGO I 126 – ORTVAY II 776 – RUPP III 253 – Anal. Praem. VII 1931, 196 –

ADONY B. M. V.

Pronuntia: Odogne

In documentis Odun, Adon, Odonmonostura, Monostorosodon. – In catalogis: Ovdan (S); Odon (L, P, W, H, T). Omnes ponunt eam in dioecesim Varadiensem praeter S, qui, habet Agriensem, et omnes asserunt eam fuisse filiam Sti. Stephani. N et V eam nesciunt.

Hodie vicus Nyiradony in comitatu Szabolcs, secus viam ferream inter Debrecen et Mate Szalka, dioec. Varadiensis, postea Agriensis, Hungaria.

Praepositura, fundata inter annos probabiliter 1245 et 60 a generatione de Gut-Keled, pro qua erat „commune“, et quae etiam canoniam de Abrany fundasse videtur. Postremo habuit patronatum familia Báthory. Adony non fuit monasterium proprie dictum cum conventu et propriis professis. Fuit quidem corpus juridicum quoad bona, sed practice mera parochia, primo canoniae Sti. Stephani Varadiensis, dein a medio saeculo XIV Lelesziensi commissa. Parochum, qui erat „praepositus et pastor animarum“, nominaverunt praelati supradictarum canoniarum de gremio suo. Cum versus medium saeculum XVI mater Lelesziensis inciperet languescere, et ex defectu religiosorum praeposituram Adoniensem non amplius posset administrare (anno 1552 quidem praepositus Jaszoviensis adhuc a Capitulo Generali expresse nominatur pater abbas de Adony), illa venit in manus cleri saecularis et facta est praepositura titularis usque ad nostra tempora.

Archivalia: L. O. L. item Budapest Orsz. lvt. Dl.

Bibliographia: BUNYITAY III 180 – COTTINEAU 21 – DHGE I – FUXHOFFER-CZINAR II 3 – Göd. Ert. 1938/39, 19/20 – HUGO I 135 KAPRINAI T. 97 pp. 99/100 – ORTVAY II 802 – RUPP III 138 – A. OSZVALD, Praepositura de Adony Ord. Praem. in Hungaria, Anal. Praem. XXVII 1951, 102/10. –

Praepositi (Oszvald)

Benedictus 1381/83
Thomas 1435
Damianus 1451

Andreas 1465
Antonius –1489
Clemens post 1489

ALMÁS

Pronuntia: Almache

Almazu, Almásmonostor. hodie dicitur hungarice Nagymás. Occurrit in omnibus catalogis. Almas. (N), Almask (P, H, T); Almath (W). S, V, L eam nesciunt sub hoc nomine. Sed puto voces Aiska (S), Alska (V), et Aiscka (L) „filiam Sti. Stephani (L) in diocesi Varadiensis (SVL), insertae eodem loco, quo in aliis invenitur Almás, probabiliter designare hanc nostram canoniam, non vero Ocsam. ut alii putant. PWHITN habent: filia Sti. Stephani, dioec. Albensis.

Secus rivum eiusdem nominis, inter Cluj (Koložsvár) et Oradea Mare

(Nagyvárad), in comitatu quondam Kolozs, dioec. Varadiensis, deinde Albae Juliae. Hodie pertinet ad Rumeniam.

Monasterium primitus ordinis Sti. Benedicti. Initio saeculo XIII patronus monasterii, comes Ladislaus de genere Kán, Benedictinis Praemonstratenses ex Sto. Stephano Varadiensi substituit, ut loco illorum curam animarum ibi exercerent. Probabiliter fuit ibi praepositus-parochus tantum, cum uno alterove confratre, ut apud praecedentem. Secundum quosdam auctores Praemonstratenses iam anno 1238 in canoniam suam Varadiensem sunt reversi. Quod vero vix credi potest, quia Almas omnibus catalogis ordinis, immo saeculo XIV redactis inserta est. Quidquid sit, etsi fere nulla documenta de ea supersint, licet suspicari, eam tamquam praeposituram nostri ordinis iam diu ante invasionem Turcarum desiisse. Hugo autumat eam fuisse destructam anno 1543. Non est praepositura titularis.

Archivalia: Arch. Secr. Vatic. Lib. I fol 242 – Orsz. lvt. DL. Budapest.

Bibliographia: ANJOU II 182 – BUNYITAY II 350 – COTTINEAU 62 – DHGE – FUXHOFFER-CZINAR II 6 – Göd. Ert. 1938/39 20 – HORVATH De primordiis 59 – MHHS II 161 – Sörös 450 – Anal. Praem. VII 1931, 186 – In periodico „Turul“ 1908, p. 128. –

BÉNY B. M. V.

Pronuntia: Bégn(e)

Ninivensis nescit. Ceteris est insertum: Bin (P, W); Bin sive Bien (L); Bein (S); Beyn (V); Vyn (H); Buy (T). Omnes consentiunt eam fuisse in dioec. Strigoniensi et filiam Sti. Stephani. In documentis: Ben, Bin, Byn, Been. Hodie dicitur hungarice Kisbény, slavice Bina.

Non longe a Strigonio, versus aquilonem, in comitatu et diocesi eiusdem nominis (Esztergom). In Cechoslovakia.

Praepositura fundata ante annum 1217 ab Amadeo comite de Hont-Pázmány. Filia Sti. Stephani Varadiensis. Saeculo XVI paternitas fuit penes praepositos Sagenses. Fuit „conventus minutus“. A Turcis est diruta anno 1543. Triennio post ibidem „dominus praepositus loco plebani residebat“. Anno 1561 collegio S. J. Tyrnaviensi data est in dotationem, fuit tamen deinceps praepositura titularis cleri saecularis. Saeculo XVIII adhuc extabant rudera monasterii, ecclesia pulcherrima biturris, styli romanici, mansit parochialis, sed in bello anno 1945 destructa est. Praepositi: Stephanus 1313, Symon 1445.

Archivalia: Orsz. lvt. DL. 13 842.

Bibliographia: BALICS II 2, 259 – COTTINEA 321 DHGE – Egyhztört. E IV 473 – FEJER CD V 2, 138, VII 2, 29 – FUXHOFFER-CZINAR II 6/7 – GEREVICH cf. ind. – Göd. Ett. 1938/39, 20/21 – HEVENESSI VI 75 – HUGO I 345 – KAMPIS – MON. STRIG. II 674 – ORTVAY II 780 – RUPP I 126 – Anal. Praem. VII 1931, 187 – Egyhzt. Eml. IV 473 – F. MONUS SZERENYI, Bene köszeg jelene es multjy, Berchovo 1934.

BOZÓK Stus. Stephanus Rex

Pron. Bozauque

In documentis: Bozoch, -zouk, -souch. In catalogis Bozoch (N); Bozob (S); Bozok (V); Bozock (L); Bosouch (PWT); Resporych (H). Filia de Hradisko (Gradis) secundum N, W, T; de „Grapha“ (L). Ceteri paternitatem tacent. Omnes collocant eam in dioec. Strigoniensem. Slavice dicitur Bzovik, ex quo fecerunt quidam veteres catalogi Pozvik.

In comitatu quondam Hont, prope Karpona, in regione potius a Slovakiis habitata. Nunc pertinet ad Cechoslovakiam.

Abbatia initio, deinde praevallet titulus praeposituralis. Fundata est inter annos 1124 et 31 pro monachis Benedictinis a Lamperto comite de Hont-Pázmány et uxore eius Sophia, quae fuit soror Sancti Ladislai regis Hungariae. Dotatio novi monasterii erat ditissima. Inter annos 1171 et 80 loco monachorum eo venerunt Praemonstratenses ex abbacia Riéval in Lotharingia. Paternitas videtur transisse saeculo XIII ad abbatiam Gradicensem in Moravia. Reges Béla II. et Béla IV. confirmaverunt et ditaverunt canoniam, quae fuit constructa ad instar arcis et habuit etiam iurisdictionem civilem. Conventus rarissime fit mentio in documentis, etsi inter praepositos inveniantur visitatores circariae. Sigismundus Balassa, caput cuiusdam familiae nobilis vicinae, circa annum 1520 canoniam exspoliavit, religiosisque expulsis bona sibi arripuit, pro quo crimine immo confirmationem regiam obtinuit. Synodus Bratislaviensis anno 1567 decrevit restorationem canoniae tamquam commenda saecularium, quod vero non successit. Postremo altera pars bonorum data est collegio S. J. in Tyrnava, altera mansit penes familiam Balassa. Praepositus de Ság anno 1579 in vanum nomine ordinis protestatus est. Post suppressionem societatis Jesu altera pars bonorum addicta est Universitati Budapestinae, altera vero Seminario Episcopali Strigoniensi. Titulus praepositi non amplius est concessus. Monasterii, quod transmutatum est in fortificationem, pars adhuc subsistit.

Archivalia: Orsz. lvt. Dl. 21 839, 5775 – MNM ta 1519 Budapest.

Bibliographia: ANJOU V 161, VI 175 – BALICS II 2, 260 – COTTINEAU 446 – FEJER CD II 82, III 62, IV, 1, 5, 136; 3 62; VII 5, 100 – FUXHOFFER-CZINAR II 7 – GÖD. Ert. 1938/39, 21 – HOMAN I 393 – HORVATH De Primordiis – HUGO I 393, Prob. II 414, et 585 (Posvik, quam confundit cum Pok) – JL 14580 – MON. STRIG. II 370, 674 – ORTVAY II 784/85 – RUPP I 128 – SÖRÖS 182/83 – SZENTPÉTERY I 1295 – Anal. Praem. VII 1931, 187 – W. MENCL, Premonstratsky klášter Bzovik (Sborník Matice Slovensky 1935, 402/16) – OSZVALD, Fegyverneky 55, 78.

Praepositi (Oszvald)

Stephanus 1263	Ladislaus 1406
Laurentius 1285/1311	Paulus 1414
Jacobus 1313/16	Albertus 1454
Michael 1326/31	Michael 1471
Egidius 1352/58	Benedictus de Gadocz
Nicolaus (intrusus) 1360	(detentor intrusus) 1505
Jacobus 1360/69	Andreas 1517/18
Nicolaus de Vytovia 1397	Paulus 1523

De abbatibus Constantino et Drogone, qui ad hanc canoniam possunt spectare, vide infra apud Varadhegyfok.

CHEIM (= Keme?)

Dioc. Agriensis, et filia Sti. Stephani secundum catalogos, ex quibus solis haec domus est nota. Cheim (N, P, W); Cheym (H); Themí (T).

Documenta hungarica omnino eam ignorant. Horvath ex hoc plane negat hanc praeposituram umquam extitisse. Cum vero catalogi diversi originis saeculorum XIII et XIV eam adducant, de existentia eius non licet dubitare. Quia iam invenitur in Ninivensi II, probabiliter est fundata ante annum 1235. Assensus videtur esse praebendus Fuxhoffer-Czinar, qui dicit „conspicua rudera“ in praedio dicto Keme prope Eger in comitatu Borsod nil aliud esse ac vetus nostra Cheim. Hugo praetendit insuper, eam fuisse destructam in expugnatione civitatis Agriensis anno 1596. Cum saeculo XVII tractaretur de restauratione praepositarum in Hungaria, Cheim fuit praetermissa.

Literatura: FUXHOFFER CZINAR – HUGO I 507 – WAEFELGHEM 58 – ZAK 342 – Anal. Praem. VII (1931) 187

Pronuntia: Tchorna

Chorna, Churna, Charna, Cherna, Czorna, Surna, Serna. In catalogis omnibus occurrit: Schirna (S, V, L); Zirna (N, W, T) Zirna seu Schirna (P), Syrna (H). Secundum omnes fuit filia de Hatvan et in dioec. Jauriensi. Prope Sopron et Győr, in comitatu Soproniensi, dioec. Jaurinensi, in Hungaria.

Praepositura fundata est circa annum 1220, certe autem ante annum 1228, quo prima vice authentice occurrit, a comite Osl eiusque filiis¹. – Filia de Hatvan, mater de Rajk, de Türje, forsan etiam de Moriczhida et de Horpács. Etsi fuerit „monasterium generationis“, magnas tamen partes egit in historia circariae. Antonius praepositus († 1438) fuit „pater abbas Ord. Praem. provinciae Ungariae“ ad vitam. Archiepiscopus Strigoniensis, secus patronus monasterii, cumulabat eum titulis et signis honoris, et supplicabat a Summo Pontifice anno 1418, ut ad dignitatem abbatialem promoveretur. Quo successu, ignoratur. Praepositus vero Elias fuit unus ex assessoribus Francisci Fegyverneky, postea factus est vicecancellarius regis et episcopus tit. Hipponensis. Patroni canoniae, praesertim Mauritius de Osl, adeo cumulabant eam bonis et foundationibus, ut iam saeculo XIII. exeunte, possessiones eius a Danubio usque ad flumen Dravam se extenderint.² Jus patronatus acquirebant saec. XIV. nobiles de Kanizsay, dein familia Nádasdy, postremo vero familia Eszterházy. Canoniam, quae anno 1520 obtinuit jus gladii, ab initio fuit locus credibilis. Hoc privilegium, post medium saec. XIV ei avulsum, anno 1393 a rege Sigismundo restitutum est. Anno 1542, ultimo praeposito ex ordine defuncto, data est in commendam. Optimus illorum praesulum commendatariorum fuit Matthaeus Szenttamásy († 1676), qui in loco residens, et conventum sacerdotum saecularium ibi instituens, ecclesiam novam super fundamenta „magnificae basilicae Csornensis“ exstruxit anno 1658. Anno 1694 Franciscus de Schöllingen, abbas Pernecensis, canoniam redemit, sed anno demum 1702 possessionem illius de facto obtinuit. Exinde Csorna, ubi parvus conventus est constitutus, annis 1702/10 dependebat a Pernegg, annis 1710/86 vero a Hradisko. Inter praepositos eius infulatos eminebat Augustinus Kamenitzky, qui independentiam canoniae voluit restaurare, ad hoc novitios hungaricos accepit et anno 1780 magnifice

¹ Ulteriores determinationes fundatorum inveniuntur hinc inde apud auctores, quae autem sunt arbitrariae et sine fundamento in re.

² Ad varia producta oeconomica commodius inter Budam et Vindobonam provehenda iam hoc tempore propria disponebat nave in Danubio, nomine „Kereph“.

reconstruxit aedificia claustralia. Anno 1786 Csorna suppressa est, anno 1802 tamen restituta. Unitae sunt ei antiquae praepositurae Türje et János-hida cum bonis suis, insuper titulus illius de Horpács. Commissa sunt ei gymnasia de Keszthely et de Szombathely, necnon parochiae de Jánoshida et Türje. Anno 1945 amisit bona sua, anno 1947 aperuit novum collegium in Csorna ipsa. Anno 1948, quo omnia collegia eius sunt suppressa, accepit a suo discipulo Card. Mindszenty parochiam noviter erectam im Budapest-Margithid. Anno 1949 suscepit administrationem sequentium curatiarum: Csorna, Maglóca, Szombathely, Szalapa, B. Máriafürdő. Status personalis: 1786: 7; 1802: 5; 1928: 54; 1948: 62. Aedificia saepius incendio sunt destructa, ita 1242, 1401, 1561, et 1790. Ecclesia an. 1658 erecta, in fine saeculi XVIII ornata est in stylo illius epochae. Clastrum annis 1802/06 ampliatum est.

Anno 1950 canonici supprimitur, religiosi sunt dispersi. Aliqui in exilio se denuo congregaverunt, anno 1957 in Sta. Ana (California, USA), et 1961 in Orange ibidem, ubi „novitiatus abbatae Csornensis“ erectus est.

Archivalia: Orsz. lvt. Dl. 159, 1079, 13873; 14098 – Helytt, Invent. conv. suppr. E 210 Bpest – Arch. Vat. Reg. Lat. 211, Suppl. 110 – MNM t. anyag és Kisfaludy cs. Bpest; – CSOL: Registr. Authent. ab anno 1535 Memorab. Praep. Csorn, saec. XVIII – Archivum Pernecense in Geras – Archivum Gradicense Brunae. –

Bibliographia: AUO VI 407, 427, VII 109; IX 286 – BALICS II 2, 260/62 – BRUNNER 15/22 – COTTINEAU 928 – DHGE XIII 1082/83 – Egyhazt. E III 45, 52, 388, IV 4, 159, 428/29; V 15, 259/63, 270/82 – FEJER CD 2/96, 2/144, 2/146, 2/208, 1/300; IV 1/77, 1/457, 3/303, 3/441; V 3/100, 3/444; VII 1/203, 5/227, 5/237, 5/566, 4/179; VIII 1/242, 3/649 7/46; IX 4/515, 5/369, 7/340; X 2/649, 2/653, 4/340, 5/145, 5/260, 5/330, 5/283, 5/414, 5/635, 5/828, 6/779; XI 360 – FUXHOFFER CZINAR II 10/12 – GERITS Prém. – Göd. Ert. 1938/39 21/22 – GOOVAERTS I 13, 25.94, 151, 160, 233, 341, 352, 431, 435, 462, 463, 471, 482, 519, 554, 566; II 19, 47, 116, 135, 191, 232; III 13, 29, 41, 45, 72, 147, 150, 163, 186; IV 35, 212, 231 – HAZAI OKLT. I 13, 31, 35; V 428 – HEDERVARY 151/58, 256/59 – HEVENESSI tom. XXII: „Literae et literalia instrumenta sacr. Ord. Praem. insignanter autem praeposituram S. Mich. de Csorna concernentia . . . excerpta ex actis familiae Nadasdianae“. Tom. X, XLV, XLVII – HORVATH De primordiis – HUGO I 593, prob. 499/502 – JOHN Canons – KAPRINAI Tom. I, III 62 76, Tom. in folio I 68 – LUKCSICS XV sz. PAPA OKLEVELEI I 59 – MON. STRIG. II 370 – ORTVAY II 798 – PFIFFIG Obit. Geras – RUPP I 459 – SCHWARTZ passim – S. V. Lt 51, 55, 59/60, 77, 80/82, 89, 98, 100/03 – Sopron Oklev. I 17, 22/23, 47, 94, 172, 389, 538, 571, 573, 595; II 15, 41, 48, 81, 85, 181, 208, 247, 271, 273, 316, 327, 336, 344, 377, 405, 414, 417, 485, 514, 522, 544, 582, 597 – SZENTPETERY 444 – WAEFELGHEM 70 – ZAK EOP (1928) 295, 297 – Anal. Praem. VII (1931) 188, XXXI 1955, 177/78 – BELITZKY J.: A. csornai prepostsag alapitasa es birtokszerzem a nemzetsegi kegyurasag koraban (Fundatio statusque bonorum praep. Cs. in: „Regnum“, Budapest 1936, pp. 61/92 – IDEM, A felvideki besenyö telepek, Budapest. 1936, 20 sq. – E. BENE, La Renovation de l'Abbaye des Prémontrés de Csorna, a la fin du 18e Siècle (Transactions of the Fifth International Congress on the Enlight-

ment, Pisa 1979). – FLECK S. Harsanyi Istvan es Budai Agoston prepostsaga 1802/16, Dissert. Budap. 1948 – HORVATH A., A csornai prepostsag commendatorai a XVI/XVII században (praepos. commendatarii saec. XVI/XVII) in: Khelyi Ert. 1941/42 – IDEM, A csornai konvent hiteleshelyi működese (Activitas loci credibilis Csorn.) ibid. 1942/43 – IDEM, A csornai prépostság 1542 körül (Praep. Csorn. circa annum 1542) in: „Vasi Szemle“, Szombathely 1937 – JANZSO F. T.: A keszthelyi Fögimnázium története (hist. gymn. in Keszthely 1802–1920), ibidem – KARACSONYI: A magyar nemzetségek p. 401 – KERESZTESY L.: A csornai prépostság összefoglaló története, in „Schola Norbertina“ 1940 – LAKY A csornai prem. prépostság története, in Csornai Névtár 1892 – MATICS D.: A csornai prépostság története 1180–1526ig, in: Khelyi Ert. 1911/12 – MESZLENYI 10 et passim – Nevtarak (Csornai) 1843, 1850, 1870, 1872 et 1892 –

Series praepositorum (Horvath, Keresztesy)

Stephanus 1278	Andreas Sebestény 1676–79
Andreas 1291	Franciscus Jány 1693–1702
Benedictus 1295	Franz v. Schöllingen
Paulus 1323	abb. Pernecens. 1702–10
Simon 1340–55	Robertus Sancius 1711–22
Georgius 1370	Richardus Vraclavsky 1722–32
Andreas 1400–05	Sigismundus Bartodesky 1732–38
Antonius 1409–38	Raphael Nolbeck 1738–54
Paulus 1445–50	Thaddaeus Schrabel 1754–66
Andreas 1450	Arnoldus Leszak 1767–74
Paulus 1455–81	Augustinus Kamenicky 1774–86, † 1801
Gregorius Apathoczy 1487	Stephanus Harsányi 1802–03
Sebastianus 1508	Augustinus Buday 1803–16
Albertus Nylkai 1509	Interregnum 1816–20
Elias de Bucha 1521	Paulus Gyöngyösy 1820–57
Petrus Kaposy 1522–42	Emericus Szenczy 1858–60
Emericus Keresztury 1542/59	Vincentius Simon 1860–84
Gregorius Kamánçzy 1559–71	Adolphus Kunc 1884–1905
Matthaeus Galambóky 1573–93	Gregorius Burány 1906–29
Michael Kapornoky 1594–1605	Hippolitus Gergye 1929–35 res.
Petrus Kálly 1607–21	Nicolaus Steiner 1935–42
Stephanus Szentandrásy 1623–30	Eugenius Simonffy 1942 admin., 1943 praepositus †1954.
Stephanus Simándy 1632–53	
Matthaeus Szenttamamásy 1653–76	

CSUT St. Eustachius

Pronuntia: Tchoutte

Chut, -te, -th, Chyuth, Chwth, Chweth, Cheth, Insula Chut, Csutmonostor.

De situ huius canoniae auctores dissentiunt. Assentiendum esse videtur opinioni A. Oszvald, qui eam collocat in insulam nunc Haros dictam, in medio Danubii. In dextra parte insulae Csepel, prope Budapest versus meridiem. Ibi adhuc hodie inveniuntur rudera. Comitatus Pest, dioec. Vespriemiensis, a saec. XVIII Szekesfehervar.

Ecclesia forte iam a Sto. Stephano rege fundata, dein facta est parochialis. Quae parochia excrevit in archidiaconatum, quem Bela IV rex tradidit Praemonstratensibus ex Turocz anno 1264. Filia eius est Kaposfö. Canoniam facta est dives et spectabilis. Saeculo XV adhuc ibi fuerunt 15 canonici. Archiepiscopus Strigoniensis exspectabat, ut conventus septuaginta curias, quas possedit ecclesia illius in insula, et quae parvum fructum attulerunt, labore suo colerent et meliorarent. Quod vero factum non est. Anno 1475 Mathias rex canoniam, in qua, ut ipse fatetur „olim cultus divinus amplius et pulcherrimus peragebatur“, tradidit Eremitis Sti. Pauli, vulgo Paulinis, Annis 1517/19 praepositus Sagiensis in vanum operam dedit recuperationi eius. Adhuc saeculo XVI destructa et fere solo aequata est.

Archivalia: Orsz. lvt. – MNM t. anyag – Bibl. Univ. Cod. lat. saec. XV, Budapest.

Bibliographia: AUO XII 616 – BALICS II 2, 262 – Catal. Ep. – DHGE XIII 1083 – FEJER CD IV 3/184, V 1/216, VI 1/188, VII 5/340 – FUXHOFFER CZINAR II 14 – Göd. Ert. 1938/39 22 – HAZAI Okmt. V 82 – HUGO I 899 – LUKCSICS 145 – Mon. Strig. III 535 – Mon. Vespr. III 181, 261 – ORTVAY II 791 – OSZVALD Fegyverneky 70/71 – PAULER II 245 – KARACSONYI J. Religio (1913) 636/38 – KAROLYI Fejer vm. története III 88/126 – KUMOROVITS B. A leleszi v. teti Breviarium jogi függeleke (Turul 1927) – RUPP I 135 – TIMAR 1 9/20 – ZAK 342 – MEZEY L. Csutmonostor alapitasa es az Arpadok ere detmondaja (Filologiai közlöny 1958, 27/34) – IDEM, Csutmonostor alapitástörténete es első oklevelei (Akadémiai kiado, Budapest 1963, 6/42) – OSZVALD A. Hol feküdt a csuti premontrei monostor (Turul 50, 1936, 6/11) Praepositorum duo tantum sunt noti: Jacobus 1364, Mathias 1388.

DARNÓ B. M. V.

In documentis: Darnow, Darnau-pataka. In catalogis cunctis invenitur, praeter Ninivensem. Dorna (P, W, H, T); Dornaw (S, V, L). In dioec. Agriensi (P, W, H, T), in Vaciensi (S, V, L). Filia de Jaszo (P, H, T), Stae.

Crucis (L). Erat quondam vicus situs inter Olaszliszka et Tolecsva, in districtu Sarospatak comitat. Zemplen, dioec. Agriensis, non longe a finibus hodiernis Karpato-Ukrainae. In Hungaria.

Praepositura, fundata secundo in dimidio saeculi XIII, inter annos ut videtur, 1245 et 80. Filia de Jászó. Praepositi erant semper canonici de Lelesz, ergo fuit probabiliter „monasterium generationis“, et quidem „minutum“, id est parochia absque vel cum parvo conventu. Secundum Timar in Darnó erant sorores ordinis, quod nobis videtur esse minus probabile. Forsan est confusio cum sequenti. De historia eius fere nihil scitur, diu de situ eius disputabant auctores. Anno 1492 ultima vice in documentis occurrit, sed scimus praepositum Jaszoviensem, Georgium Ollyas, anno 1552 a Capitulo Generali esse confirmatum ut patrem abbatem de Darnó. Facta est in posterum praepositura titularis, de aedibus nihil superest.

Archivalia: LóL, Lelesz – Orsz. lvt. DL.

Bibliographia: Catal. Episc. – CHOBOT I 83 – COTTINEAU 948 – DHGE XIV 89 – FEJER CD IX 4/198 – FUXHOFFER CZINAR II 15/16 – GÖD. Ert. 1938/39, 22/23 – HUGO I 633 – KAPRINAI Szemrecsek elenchus nr. 106 – OSZVALD Fegyvernek 32 – RUPP II 277 – TIMAR 5/12 – WAEFELGHEM duplicat hanc domum 74 et 79 – Anal. Praem. VII 1931, 189.

Praepositi (Oszvald)

Laurentius 1366/69	Aegidius 1418
Lucasius ante 1399	Michael 1439
Antonius (successor Lucasii) 1399	Franciscus 1492

DROZO

Pron. Drozeaux

Parthenon, de quo nihil certi scimus, nec situm, nec nomen correctum. Notum est nobis ex antiquioribus catalogis tantum: Drozzo praepositura sororum (L); Drozza sorores (S); Dorozza sorores (V). Omnes collocant hanc domum in dioecesi Agriensi. Quia nomen Drozo videtur esse slavicum, supponere licet hoc asceterium fuisse situm in septentrione illius permagna dioecesis, ergo in Slovakia. Suo loco invenitur apud Hugo I 643, Wae-felghem 80, et alios. Stando nostris catalogis, in quibus nulla insertio est sine fundamento in re, de eius existentia saltem transitoria dubitare non licet, etsi in nullo documento hungarico memoretur – quidquid dicant Catalogus Episcoporum et Horvath Anal. Praem. VII (1931) 189, qui existentiam

eius negant. Floruit probabiliter inter annos 1240 et 90, quia in Ninivensi nondum, in catalogis recentioribus non amplius invenitur. Coniecturam, quomodo forte ortus fuerit hic parthenon, vide in praefatione huius circariae, et infra apud Zopriza.

GARÁB St. Hubertus

Grabensis, Graba, Grabia, Gravia. In catalogis, quibus cunctis est inserta. Graba (S, V, L, P, W, T); Glaba (H), Grabia (N). Filia de „Turna“ (id est Jaszo) apud L, P, W, H, T. De „Sto. Joanne Baptista“, quod est idem, apud N. In diocesi Strigoniensi: N, W, H, T. In Vaciensi: S, V.

In comitatu Nograd, statio eius viae ferreae est Pasztó. Dioec. Strigoniensis, in Hungaria. Vitetur confusio cum monasterio O. S. B. eiusdem nominis in Syrmia sito.

Abbatia, dein praepositura, prima fundatio ordinis in Hungaria. Fundata ca. an. 1171 a Micudino praeposito in Szekésfehérvár, postea episcopo Jau-riensi, ex familia de Kökényes-Radnot. Filia Regiae Vallis in Lotharingia (Riéval), sed mox paternitas transiit ad canoniam Jaszoviensem. Mater fuit de Kökényes. Canoniam Garab fuit „commune in generatione“ illorum de Kökényes-Radnot, qui erant etiam patroni eius. Anno 1436 conventus Grabensis iam erat extinctus, et tunc praepositus de Sag a rege bona ipsius pro se petivit et impetravit quoque. Saeculo sequenti devastatum est. Anno 1688 bona unita sunt praepositurae restitutae Sti. Stephani Varadiensis, quae tamen ea iterum amisit. Saeculo XVIII, quo adhuc substiterunt rudera de ea. Graba habuit praepositos titulares ex ordine: postea autem, sicut et ante, e clero saeculari.

Archivalia: Orsz. lvt. Bpest. Dl. 12928.

Bibliographia: AUO I 131; II 6; III 186; VI 361; VIII 275; X 454; XI 472, 547 – BALICS II 2, 263 – Cat. Episc. – CHOBOT I 84 – DHGE XIX 1137 – FEJER CD IV 3/292 – FUXHOFFER CZINAR – Göd. Ert. 1938/39 23/24 – HOMAN I 393 – HORVATH De primordiis – IDEM, Praem. Hung. – HUGO I 747 (cf. II 409 et 615) – JL 14580 – KARACSONYI Ki epittete . . . monostort – IDEM, Magyarország története 71 – ORTVAY II 790 – PAULER I 366, 574 – REINERTH passim – WAEFELGHEM duplicat 223 et 224 – FEJERPATAKY Emlékkönyv (Budapest 1917) 96/97 – HORVATH A., De fundatione praepositurae Grabensis (Garab) in Hungaria (Anal. Praem. IV 1928, 85/88) – Anal. Praem. VII 1931, 189/90.

GEDIR

Pronuntia: Gaidir

Gedirmonostor. In catalogis: Geidel (V, L), Gedir (W, T), Geydel (S), Gedir sive Geidel (P); Cedyw seu Gedir (H). Omnes consentiunt eam fuisse filiam de Ocsa et sitam in dioecesi Colocensi.

In comitatu Solt, dioec. Kalocsa, in Hungaria meridionali.

Praepositura, de qua praeter existentiam nihil scimus. Citatio eius in catalogis etiam antiquioribus (praeter Ninivensem) innuit, eam iam fuisse fundatam inter annos 1240/70. Fuit in posterum praepositura titularis. Ruinae eius videntur adhuc hodie.

Bibliographia: Catal. Episc. – FUXHOFFER CZINAR II 16 – HUGO I 713 – DRTVAY II 773, 781 – RUPP III 34 – WAEFELGHEM 93 – Anal. Praem. VII (1931) 190. –

GÖDÖLLÖ vide vol. III 342/43

HATVAN St. Margareta

Pronuntia: Hatevanne

In documentis: Hotwin-, -uan, -uon, won, Hottwan, -won, -von, Hathuan, Nagatvan, Hatvanmonostor. In catalogis: Hotuin (N); Hocwan (S); Hotwan (V); Hottvvan (L); Cothewan (P); Cotawan (H); Cothwan [W]; Cathwau (T). Diocesis Agriensis (N, P, W, T); Strigoniensis (H); Vaciensis (S, V, L). Filia Sti Stephani (N, P, H, W, T); de Janoshida (L).

Hodie oppidum Nagyhatvan in comitatu Heves, prope Gödöllő versus orientem. Dioec. Vaciensis, nunc Agriensis. In Hungaria.

Praepositura fundata initio saeculi XIII a Simone filio Banconis comitis, forsitan ex familia de Nagyhatvan, quae in posterum patronatum exercuit. Ladislaus II rex autem dedit patronatum familiae de Bancha. Haec canonica dives fuit filia Sti. Stephani Varadiensis, et mater de Zsido. Postremo fuit sub paternitate praepositi Sagensis. Monasterium Hatvanense, quod hinc inde vocatur abbatia, iam saeculo XIII habuit amplam parochiam ei coniunctam, sicut et sigillum loci credibilis, sed modo ad annum 1351. Praepositi et fratres huius conventus ab initio saeculi XIV erant professi conventus Lelesziensis, quo omnes, munere suo functi, revertebantur. Anno 1521 adhuc memoratur praepositus ex ordine, sed anno 1539 Hatvan iam erat in manu cleri saecularis. Leopoldus I. Imperator feodum et bona eius donavit comiti de Salm, ea sub conditione, ut ille praeposituram nostram restitueret. Quod et factum est anno 1723, non autem ordini, sed tamquam commenda cleri saecularis, quod mansit usque hodie.

Archivalia: Orsz. lvt. Dl. Bp – Primasi lvt. X/9, Esztergom – Vat. lvt. Reg. Bull. vol. 312, fol. 293.

Bibliographia: BALICS II 2, 263 – Catal. Episc. – CHOBOT I 78 – COTTINEAU 1382 – FEJER CD V, 2/82, VII 5/400 – FRANKOI 88/89 – FUXHOFFER CZINAR II 19 – GÖD. Ert. 1938/39 24 – HEVENESSI 447 – HUGO duplicat: I 559 (Cothavan) et 843 – Mon. Vat. Ser. I, tom. 3, 110 – Obituaire de Premontre (edd. v. WAEFELGHEM) die 14a julii – OSZVALD – RUPP I 701 – SZTARAY I 250 – WAEFELGHEM 69, 117 – ZAK 343 –

Praepositi (Oszvald)

Paulus 1345/51
Albertus 1441/58

Stephanus 1521

HERMANNSTADT

Villa Herrmanni, rumenice Sibiu, hungarice Nagyszeben. Civitas in Transsylvania, dioec. Alba Julia, in Rumenia.

Parthenon, qui nobis notus est tantum e catalogo Ninivensi secundo. In fine illius invenimus enim specialem rubricam superscriptam sequenti nota: „Clastra sororum que diversas habent possessiones, et praepositi, hoc est rectores locorum ipsorum visitant et visitantur.“ Adducit permulta asceteria, praesertim in Germania sita, et ultimo loco duo, quae hactenus nobis fuerunt plane ignota: „In Hungaria / assignata est paternitas / dyocesis cumanie: Corona. Dyocesis ultra silvane: Villa Hermann.“¹

Puto haec asceteria sic esse orta. Saeculo XIII, praesertim annis 1211–15, multi Saxones, Westfali et Rhenani emigraverunt in Transsylvaniam, et fundaverunt ibi civitates, quae usque ad nostra tempora erant germanicae. Eodem tempore canoniarum ordinis nostri in circaria Westfaliae coeperunt moniales suas dislocare, et illae circariae Saxoniae sorores suas sat rigore expulsare, pluries tradentes eas ordini Cisterciensi. Probabiliter turba quaedam harum sororum expulsarum, ad alium ordinem transire nolentium, emigratores suae gentis concomitata est et in novis civitatibus ab illis constructis. – Kronstadt et Hermannstadt – nova asceteria sibi exstruxit. Ordo vero, ne essent derelictae sibimetipsis, praesertim cum canoniarum virorum gentis germanicae longe abessent, provide eas aggregavit circariae Hungariae. Probabiliter haec monasteria a Tataris anno 1241 sunt destructa. Hypothesim autem de sorte eorum vide supra in praefatione huius circariae, infra apud Ivanic, et apud. K. REINERTH, Ein bisher unbeachtet gebliebenes Ver-

¹ Dioecesis Cumaniae anno 1228 cum sede in Milkov pro gente cumana immigrata fundatur, sed anno 1241 per Tataros subvertitur. (LTK VI 299) Dioecesis „Ultra Sylvane“ probabiliter idem est ac Alba Julia.

zeichnis der Klöster des Präm. Ordens in Ungarn und Siebenbürgen aus der Zeit vor dem Mongolensturm (Zschr. f. Kirchengesch. III/IV 1966, 268/87)

HORPÁCS S. Petrus

Pronuntia: Horpatche

In documentis: Hurbach, Horpach, Hurbach, Kyshorpács, Pusztahorpács. – Horpaz (S, V, L); filia de Csorna.

Prope Sopron, in comitatu eiusdem nominis, in limitibus Austriae, dioec. Jauriensis, Hungaria.

Extiterunt duo „Horpach“ in illa regione, aliquas leucas inter se distantes. St. Petrus de Horpach (hodie Hirbach) prope Marz, ubi fuit canonia O.S.A., et quae tum Horpacs, tum Marc authentice vocatur, et aliud Horpács, ubi canonia Csornensis iam ab initio possedit bona et iura, et cuius ecclesia ab initio videtur illi fuisse incorporata. Haec vero secunda Horpacs saltem ex fontibus indigenis monasterium quodlibet fuisse probari nequit, etsi saeculo XVIII in utraque adhuc videbantur ruinae aedium claustralium. Quae „duae villae Horpach“ (Sopron oklvt. I 137) apparenter a plerisque auctoribus confunduntur. Nemethy et Horvath ex silentio documentorum negant alterum Horpács umquam fuisse canoniam O. Praem. Fuxhoffer, Stessel, Balics et Rupp autem affirmant, et quidem jure merito. Sed non frustra „Horpaz“ inserta est tribus catalogis secundo dimidio saeculi XIII redactis, ita ut foundationem eius ante annum circiter 1275 ponere possimus, et non in vanum saeculo XVI – quo subditur paternitati abbatae Gradicensis anno 1510 – et saeculis sequentibus considerabatur communiter ut pristina domus nostri ordinis. Constat insuper, secundum Gerevich, ecclesiam Horpacsensem, medio saec. XIII erectam et tamquam parochialem usque hodie superstitem, typum Praemonstratensem aperte demonstrare. Videtur exinde existentia canoniae O. Praem. ibi esse certa, sed probabiliter nil fuit nisi „monasterium minutum“ duobus vel tribus canonicis Csornensibus ad curam animarum exercendam provisum. Abbas Franciscus de Schöllingen acquisivit eam anno 1705 „licet titulariter“, quia bona pertinuerunt ad familiam Csaky Ab anno 1718 praepositi Türienses, dein ab anno 1802 Csornenses utuntur titulo „praepositi de Horpacs“ usque hodie.

Archivalia: Orsz. lvt. Dl. 159; N. R. A. 7706 (pagus H.) Ut apparet ex fontibus infra citatis, in archivis austriacis complura occurrunt.

Bibliographia: BALICS II 2, 264 – COTTINEAU 1430 – FEJER CD VII 2/183/84 – FUXHOFFER CZINAR II 21 – GEREVICH cf. ind. – HORVATH Praem. Hung. – HUGO I 837

– ORTVAY II 799 – RUPP I 475 – Sopron. Oklvt. I 137, 189, 300, 420, 503; II 147, 154, 247, 293, 346, 377, 414 – WAEFELGHEM 117 – Anal. Praem. VII 1931, 190 – R. DUEL-LUS, *Experta Genealogico Historica*, Lipsiae 1725, I P 1, p. 12 nr. XX – HORVATH A., *A Horpacs prepostsag* (Sopron Semle 1940) – MENETHY L. *A marcfalvi prespostszag es a horpacs monostor*, (Szazadok 1900 p. 434) – Niederösterr. Urkundenbuch I 184, 247 – STESEL J., *A marci prepostszag* (Szazadok 1901, p. 146). –

INSULA LAZARI

Varia dicunt singuli fontes de hac domo, quam extitisse dubitare non licet, etsi Horvath Anal. Praem. VII (1931) p. 191 proclamat: „monasterium talis nominis numquam existerat in Hungaria“. Occurrit enim in omnibus antiquis catalogis, praeter Ninivensem, ex quo licet concludere eam esse fundatam inter annos 1240 et 90. Omnes inserunt eam sub voce „Insula Lazari“, et collocant eam in diocesi Quinque Ecclesiarum, et quidem tamquam filiam de „Thours“ (L), vel rectius de Ocsa (P, H, W, T). Secundum Hugo sita erat „inter Dravam flumen et torrentem Keoritz in comitatu Beranii“ (= Baranya), in dioecesi Pecs, pariter ut filia de Ocsa, et est destructa a Turcis anno 1543. Catalogi S, V, et L habent duas canonias in hac dioecesi: Insula Lazari et Stus. Augustinus. Lairuelz, ex mera phantasia, dicit Insulam Lazari fuisse filiam de Turocz et matrem Sti. Augustini. Waefelghem praetendit canoniam Sti. Lazari fuisse in loco hodierno castri Szigetvar, et fuisse extinctam ante annum 1450. Hodie existit iam a saeculis praepositura titularis „St. Augustini de Insula Lazari“. Forte revera sunt idem atque unum, forte Insula Lazari est continuatio abbatae Nagyolasz (v. infra), in eadem dioecesi sita.

Bibliographia: Catal. Episc. – COTTINEAU 1448 – FUXHOFFER CZINAR citat opus PATHMOCZY, Hungaria et BELII Compendium Hungariae geographicum. – HUGO I 897 – WAEFELGHEM 122. – ZAK 345.

IVANIČ B.M.V.

Pron. Ivanitch

In documentis: Iwanch, Ivanich, Occurrit tantum in catalogis sequentibus: S (Ywancia sorores); V (Iwancia sorores); L (Iwancia sororum. Monasterium disciplinae reformatissimum); et P (Juvantia moniales, filia Rubi). Hungarice: Ivanicsmonostor. Hodie nuncupatur Ivanic-Klostar.

Prope Zagreb. versus orientem. Dioc. Zagreb, in Croatia, Jugoslavia.

Stephanus Babonič, episcopus Zagrabiensis, anno 1226 hic in castro suo

fundavit asceterium, cuius „dominae moniales“ probabiliter fuerunt OSB. Quae cum dissipassent bona, mox eis remotis, anno 1246 eis substituuntur aliae „sanctimoniales“, cuius ordo tacetur. Ex catalogis ordinis nostri vero scimus, eas fuisse Ord. Praem. Collocatae sunt ibi, ut in diplomate foundationis legitur: „ad instantiam et evidentem petitionem illustrissimi Belae regis et reginae . . . sanctimoniales . . . in eandem ecclesiam adduximus . . .“ Ut iam in praefatione exposuimus, videntur moniales e Transsylvania anno 1241 expulsae a Tataris, suppliciter adiisse regem et reginam Hungariae, qui supra dicto modo illis providerunt. Vide etiam in praefatione, quid censendum sit de paternitate Rubi, id est asceterii Treptow in circaria nostra Slaviae¹ de quo vide supra p. 269. Singulare est enim, catalogum illum non ut de more, filiationem patris abbatis indicare, cui parthenon fuit subditus (quem in hoc casu nescimus), sed filiationem parthenonis, unde venerant primae moniales. Hoc tantum sic intelligi potest, quod moniales quaesierint aliam paternitatem ac Hungaricam, a Capitulo Generali illis impositam, ligamen unionis cum patria originali reintegrare studentes. A Circaria Hungarica, illis forte minus grata, de facto se in posterum separaverunt, in catalogis recentioribus (ab anno circiter 1300) Ivanic enim desideratur². Anno 1288 memoratur „domina abbatissa et moniales de Iwanch“, annis 1332 et 1406 „sanctimoniales B.M.V. de Ivanich“, pariter absque indicatione ordinis. Quae omnia innuunt, hunc parthenonem, quem Lairuelz absque ulla ratione nuncupat „disciplina reformatissimum“, ab ordine versus finem saeculi XIII fuisse alienatum. In documentis saec. XIV quidem occurrit, sed semper absque indicatione ordinis. Versus finem saec. XV adeo fuit collapsus, ut a monialibus derelinquatur. Episcopus Zagrabiensis anno 1508 ibi erigitur novum monasterium pro patribus OFM. Kerčelič autumat, moniales O. Praem. tunc adhuc extitisse, sed in alio loco. Numquid asceterium nostri ordinis in Szeged, an. 1511 quasi ex nihilo ortum, ex Ivanicense sit progressum, est possibile, sed respectis conditionibus nobis videtur esse vix probabile. Quidquid sit, Ivanič mansit monasterium franciscanum usque ad nostra tempora. Nova construitur ecclesia, quae an. 1943 ex adiectis belli est destructa. Tempus monialium tantum turris et imago quaedam B.M.V. ex medio aevo in mentem revocat. Nuper monasterium fuit refugium conventus O. Cist. Ref. ex Banjaluka, terraemotu deleta, profugi.

¹ Cat. P falso dicit de eo: „Rubus, filia de Bethlehem, in Slavonia, dioec. Spalatensis.“ Quod sic est corrigendum: „in Slavia, dioec. Camminensis.“ Etiam in hoc casu indicat filiationem, et quidem recte, ex alio parthenone.

² Insertio in catalogum P, ut iam supra diximus, videtur esse manus posterioris, ex antiquiore catalogo forsan desumpta.

Archivalia in Archivo Archiepiscop. Zagrabiense. (Arkiv na Biskupskoga, Fundationalia).

Bibliographia: FUXHOFFER CZINAR – HUGO I 959 – LAIRUELZ 765 – TIMAR 5/12 – WAEFELGHEM duplicat: 126, 132 – ZAK 349 – Anal. Praem. VII (1931) 191 et 193: negat hanc domum umquam extitisse! – N. BACKMUND, Kloster Ivanič (Anal. Praem. XLIII 1967, 146/54. Qui articulus omnia continet quae potuerunt erui) – A. KERČE-LIČ, Historia Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis, Zagrabiae 1864, I 1, 62/64 – Th. KOWAČEWIČ, Historia monasteriorum Croatiae (MS 566 Instituti Historici Academiae Jugoslawiae, Zagreb f. 122) – K. REINERTH, (v. Supra apud Herrmannstadt) – T. SMIČIKLAS Codex Diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae, Zagreb 1904, 4 I, XV 264/65 – J.B. TKALČIČ, Monumenta Historica Episcopatus Zagrabiensis saec. XII et XIII, Zagreb 1873, I 87, II 736.

JÁNOSHIDA St. Joannis Baptistae

Pronuntia: Yanoche Hida

Fons Joannis, filia de Kökenyes (N); Pontus Joannis, filia de Jaszo (L); Pons (P) vel Pontis Joannis (H, W, T) filia Sti. Stephani. Omnes collocant hanc canoniam in dioecesi Vacienſi.

Juxta ripam fluvii Zagvva, inter oppida Jaszbereny et Szolnok. Olim in comitatu Pest, a saeculo XV in Külso-Szolnok, dein in Heves, nostro tempore vero in com. Jasz-Nagykun-Szolnok, in dioec. Vacz, in Hungaria.

Praepositura fundata ut fertur an. 1186, omni modo probabiliter sub Bela III rege (1173/96). Eam fuisse filiam primitus de Kökenyes, ut legimus in catalogo Ninivensi, est possibile, sed postea paternitas videtur transisse ad Stum. Stephanum Varadiensem. In documentis hungaricis autem Janoshida in fine demum saeculi XIII prima vice occurrit. Probabiliter a Turcis saeculo XVI est devastata haec canoniam exigua, cuius ruinae adhuc videbantur anno 1692. Saeculis XVI et XVII fuit praepositura titularis in manu cleri saecularis, anno 1688 unita est abbatiae Zabrdovicensi in Moravia, quae ecclesiam, domum parochialem et parvum conventum ibi erexit. Anno 1785 simul cum abbatia illa est suppressa, anno 1802 autem canoniam resuscitatae Csornensi unita, quae eam possedit et parochiam ibi administrat usque hodie. Ultimus praepositus Stephanus Harsanyi anno 1802 a rege nominatus est praepositus primus Csornae resuscitatae. In apside hodiernae ecclesiae inventae sunt nuper partes ecclesiae mediaevalis styli romanici.

Archivalia: Vetera saeculo XVI. perierunt. Documenta saeculi XVIII. inveniuntur in Archivo Zabrdovicensi Brunae, et in Orsz. lvt. Helytt (Invent. Monaster, suppressorum).

Bibliographia: Anal. Praem. VII (1931) 192 – BALICS II 2, 264 – CHOBOT I 80 –

CSANKI I 29 – FLECK (v. Csorna) – FUXHOFFER CZINAR I 43/44 – Göd. Ert. 1938/39 25 – GOOVAERTS IV 200 – HUGO II 579 – MESZLENYI 11, et passim – ORTVAY II 792 – RUPP I 706 – WAEFELGHEM 128 – A. ZAK, Das Chorherrnstift Pernegg (v. ibidem) 149. –

JÁSZÓ S. Joannis Baptistae

Pronuntia: Yassot

Jazou, -szou, -zov, -zow, -sow, Jassau, Jaszovar, Castrum Jaszo, Turna.

In catalogis: Vallis Sti. Johannis Baptiste alio nomine Turna (N); Jazzaw (S, L); Jaszaw (V); Jasow (P, H. W, T). Secundum omnes filia Sti. Stephani et in Dioc. Agriensi.

Prope Kosice versus occidentem, in comitatu Abauj-Torna. Hodie pertinet ad Cechoslovakiā et appellatur Jasov sive Zamok Jasov. Dioec. Agriensis, (nunc Rosnaviensis). Ex privilegio autem stetit sub iurisdictione immediata archiepiscopi Strigoniensis; sicut et Zsámbék et Varadhegyfok.

Praepositura, nunc abbatia. Fundata post annum 1220 a rege quodam Hungariae et a Colomanno duce Galiciae, filia Sti. Stephani Varadiensis. Mater de Móriczhida, Darnó, Ócsa, Rátót. Exercuit etiam paternitatem in canoniam Garáb. Patroni eius fuerunt reges Hungariae. Fuit locus credibilis et conventus spectabilis, extruxit metalla et nosocomium, possedit in toto 22 oppida, villas et portiones possessionarias. Ne canoniam rapacitate nobilium vicinorum plane exspoliaretur, impetravit a Sigismundo rege anno 1436, ut instar arcis aedes suas fortificaret. Quod iterum factum est anno 1591, et exinde „Castrum Jászó, Jaszovar“ est nuncupata. Ultimus praepositus ex ordine. Georgius Ollyás, qui unum solum religiosum habuit subditum, a capitulo generali nominatus est pater abbas Sti. Stephani Varadiensis, de Lelesz, de Pályi, Adony et Darnó. Ab anno 1552 Jászó, cum careret conventu, facta est commenda saecularium. Tentamen restorationis, anno 1583 ab abbatia Teplensi initiatum, non successit. Ab anno 1614 usque ad annum 1650 in Jászó fuit sedes capituli cathedralis Agriensis. Anno 1697 pro ordine redempta est per abbatem Pernecensem, qui eam vendidit anno 1700 canoniam Lucensi in Moravia. Illa anno 1710 ibi instituit praepositos infultos et parvam communitatem. Praepositus Andreas Sauberer post longas lites et difficultates, nova canoniam pulcherrime exstructa, Jaszo a Luca separavit et anno 1770 plenam eius independentiam obtinuit. Hoc anno in Jaszo, quae quadriennio post evecta est in abbatiam, fuerunt decem canonici et totidem novitii. Canoniam assumpsit administrationem parochiarum incorporatarum Jászó, Debrőd, Mindszent et Felső Meczenzef. et insuper ab anno 1778 gymnasii Rosnaviensis.

Anno 1787 canonia suppressa est, sed anno 1802 restaurata ut praepositura una cum praepositis Varadiensi et Lelesziensi ei unitis. Onerata fuit tamen administratione gymnasiorum Leutschau, Roznava, Nagyvarad et Ungvar, quod ultimum paulo post mutavit pro Cassoviensi. Quibus accesserunt convicta nobilium in Cassovia et in Nagyvarad, et cathedrae facultatis philosophicae ibidem. Pars horum institutorum canoniae in posterum iterum est avulsa, manserunt illi gymnasia in Kassa, Roznyo et Nagyvarad. A saeculo XIX administravit parochias (praeter supra laudatas) in Rudnok, Felsőnavaj, Nyesta. Cum anno 1919 Jászó cum suis scholis ab Hungaria esset separata, facta est abbatia nullius, et erexit gymnasium cum conventu in Gödöllő. Status personalis: 1880 68 DD; 1928: 76 DD, 12 prof., 5 nov; 1948: 23 DD. Anno 1950 Jaszó iterum est suppressa.

Archivalia: J.O.L. – Orsz. lvt. Dl. et Helytt. Bp. (Invent. Mon. Suppressorum) – M.N.M.t.a. ibidem – Archivum Lucense Brunae – Arch. Vat. Reg. Suppl. 162 et 475.

Bibliographia: AUO II 189, VII 193, IX 287, X 53, 409, XI 373 – BALICS II 2, 264/65 – BOSSANYI Regesta 222/23 – BRUNNER 144/80 (auct. J.F. LENNER) – COTTINEAU 1478 – Egyháztört. E I 45, 48 III 133, 194, 317, IV 411, 491, 496, V 4, 129 – FEJER CD IV 1/304, 3/51, 3/191, 2/229, V 1/102, 1/343, 2/438, 3/403, VI 2/64, VII 1/2, 2/250, 5/403, X 1/59, 2/68 – FUXHOFFER CZINAR II 22/32 – Göd. Ert. 1938/39 25/26 – GOOVAERTS I 13, 24, 36, 54, 64, 68, 150, 151, 212, 246, 247, 250, 260, 323, 348, 364, 395, 397, 412, 425, 426, 434, 435, 437, 441, 444, 454, 455, 457, 459, 461, 462, 465, 467, 468, 473, 503, 519, 556, 574, 585. II 13, 18, 30, 38, 57, 64, 70, 76, 85, 92, 131, 136, 144, 190, 194, 201, 204, 207, 208, 210, 216, 218, 230, 231, 232, 233, 234, 235, 237, 250, 251, 270, 272, 273, 331, 333, 382, 425, 437, III 12, 13, 15, 19, 24, 41, 46, 53, 67, 72, 109, 144, 145, 146, 149, 161, 163, 165, 167, 179, 196, IV 17, 115, 120, 127, 180, 186, 213, 278, 335 – HAZAI Oklt. 235, 248 – HAZAI Okmt. VI 202, 305, 501 – HORVATH De primord. – HUGO I 861, prob. 656/60 – KAMPIS 148/51 – LUKCSICS II 503, 1340 – MESZLENYI 6/20 – OSZVALD Adatok – IDEM, Fegyverneky 59, 74/82 – PFIFFIG Obit. Gerus. – POTTHAST 24485 – RUPP II 130/40 – SZENTPÉTERY Nr. 946, 1094, 1110 – WAELFELGHEM 129 – ZAK OPHong 344 – IDEM EOP (1928) 178, 298, 301 – Ahal. Praem. VII 1931, 192 – H.E. CENEFFELDT, Historia Abbatiae Jaszoviensis, ibidem LVII 1981, 28/35 – FARKAS R.A. jaszovari kanonokrend története visszaallitástól napjainkig (Jubileumi nevtár 1802/1902) Budapest 1902 – HERMANN E., Andreas Sauberer, erster Abt von Jaszó 1745–69 (Anal. Praem. II 1926, 357/78) – IDEM, Das Prämonstratensergymnasium in Roznyo in Oberungarn 1778–87 (ibidem VII 1931, 255/69) – IDEM, Zasoí Andras, jaszói prepost tanaris es teologiai irodalmi munkas saga (Emlékkönyv 202/38) – IDEM, Exempt Jaszó plebaniak (Göd. Ert. 1930/31) – HORVATH M. Magyar Regestak a Szeptesi kaptalan Jaszai s Lelesze conventek, Kassa as Sopron (Reg. 1228/1643) in: Tört. Tá. IX 99, 102, 115 – A. LANG, Acta Salisburgo-Aquileiensi. Quellen zur Gesch. der ehemal. Kirchenprovinzen Salzburg u. Aquileja, 1316/78, I 86 N., II 824, Graz 1903/06 – LAGYI I.A. Jaszovari premontrei kanonokrendi prepostsag története, a Commendatarkorszak 1552. 1699 (Diss. Budapest 1925, cf. Anal. Praem. III 1927, 330 – POR A., Nagy Lajos, kiralyi es a jaszoi konvent (Szazadok 1905, 374) – SPILKA T.A. jaszovari premontrei kanonokrendi prepostsag

birtokainak Arpadés Anjoukari története, Diss. Budapest 1924/25, cf. Anal. Praem. III (1927) 327 – TOTH/SZABO P.A. Jászai konvent mint hittelehelyi a középkorban (Turul XXI 110) – IDEM, Szatmari György primas, Budapest 1906 – IDEM, Oklevelek a kegyuri jog történetéhez, in: Tört. Tar. 1903, pp. 99/117 – IDEM., Jászó a főkegyuri-jog történetében, in: Szazadok 1905 – IDEM, Nagy Lajos és a jászai konvent, ibidem 1905 p. 574

Series praepositorum (Oszvald, Lenner)

Albertus 1243/56	Petrus de Kassa 1522–44
Johannes 1261/64	Blasius de Peterwardein 1544–49
Andreas 1270/72	Franciscus Josefít 1549–50
Wigandus –1275	Georgius Ollyas 1550–52
Nicolaus 1275/77	Georgius Draskovits 1553–57
Marcus 1278–80	Andreas Dudich Sbardellatus 1564–65
Salomon 1281/84	Georgius Bornemisza 1578–83
Antonius –1286	Martinus Pethe de Hetes 1587–99
Laurentius 1286–	Nicolaus Mikaczy 1599–1609
Wigandus 1289/98	Franciscus Petheő 1612–36
Antonius 1308	Georgius Lippay de Zombor 1637–42
Michael 1310/30	(Fiscus regius 1642–48)
Paulus 1330–50	Benedictus Kisdý 1648–60
Nicolaus 1351–75	Thomas Palffy 1660–69
Joannes intrusus 1364/65	Franciscus Szegedy 1669–75
Paulus 1376–81	Georgius Barsonyi 1675–78
Johannes 1382–1401	Ferdinandus Palffy 1678–80
Interregnum 1403–09	Georgius Horvath 1681–85
Nicolaus 1411/20	Petrus Korompay 1685–87
Petrus 1420–28	Georgius Fenessy 1687–99
Johannes 1429–33	Gilbertus Mayer, can. Lucensis ad-
Nicolaus Csicsery 1433	ministrátor 1699–1712
(Simul praep. in Lelesz)	Nicolaus Fromhold 1712–14
Stanislaus 1434/41	Albrecht v. Unverzagt 1714–17
Lucas Biro 1447/69	Carolus Tesch 1720–36
Bartholomaeus 1472/73	Maximilian v. Goldegg 1736–45
Johannes Morc 1479/86 res.	Andreas Sauberer 1745–79
Martinus 1486–96	Gerardus de Csak 1780–86
Dominicus Bathory 1498–1501	Andreas Zasio 1802–16
Casparus de Csahol 1501–06	Maximilianus de Bernath 1817–29
Ladislaus de Vaja 1506–08	Aloysius Richter 1830–53 res.
Paulus 1508–15	Josephus Répassy 1854–67
Gregorius de Karacsond 1515–21	Victor Kaczvinsky 1867–93

Cyprianus Benedek 1893–1900
Melchior Takacs 1900–33
Ambrosius Ebergényi 1° 1935–38

Paulus Gerinczy 1938–46
Ambrosius Ebergényi 2° 1946–

